Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26088
Copyright: Admont, Benediktinerstift

si in mentem uenerit quod habeat aliquid aduersum nos frater
idest si nos eum in aliquo lesimus. tunc enim ipse habet aduersum
nos. nam nos aduersus illum habemus si ille nos leserit. ubi
non opus est pergere ad reconciliationem. non enim ueniam ab eo postu
labis qui tibi fecit iniuriam sed tantum dimittis sicut tibi dimitti
a domino cupis quod ipse commiseris. Pergendum est ergo ad reconciliatio
nem cum in mentem uenerit quod nos forte fratrem in aliquo lesimus.
Pergendum est autem non pedibus corporis sed motibus animi ut te hu
mili affectu prosternas fratri ad quem cara cogitatione cucurre
ris in conspectu eius cui munus oblaturus es. Ita enim etiam si presens
sit poteris eum non simulato animo lenire atque in gratiam
reuocare ueniam postulando. si hoc prius coram deo feceris
pergens ad eum non pigro motu corporis sed celerrimo dilecti
onis affectu. atque inde ueniens idest intentionem reuocans
ad id quod agere ceperas offeras munus tuum. Quis autem hoc non fecit
ut uel non irascatur fratri suo sine causa uel racha non dicat sine causa
uel eum fatuum non appellet sine causa quod totum superbissime ad
mittitur. uel forte si in aliquo horum lapsus fuerit quod est unum re
medium suppliciter ueniam deprecetur. non quisquis inanis iactantie
spiritu inflatur. Beati ergo pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum celorum.

DOM. VII. Sermo beati AVG. EPI. DE HELISEO
ET securi in gurgite LAPSA.

CVM DIVINA LECTIO LEGERETUR FRATRES
karissimi audiuimus quod eunte beato heliseo cum
filiis prophetarum ad iordanem fluuium. dum ligna
cederent cecidit securis in aquam. et ille de
cuius manu ceciderat clamauit ad beatum he
liseum. Heu domine mi. et hoc ipsum mutuo su
sceperam.